



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

2. De ijs speciatim quæ filij parentib. debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

ea officia virtutis, qua parere debemus ijs, qui sunt nobis aliqua potestate, & auctoritate praefecti: quae virtus dicitur obedientia, de qua idem S. Thomas q. 104. & 105. eiusdem partis. Ad hoc etiam praecipuum pertinent opera & officia virtutis, qua gratias habere & agere debemus ijs, qui de nobis bene meriti sunt, aut eo quod in nos boni aliquid contulerunt: quam virtutem, gratitudinem sanctus Thomas appellat, hoc est grati animi virtutem: de qua in eandem quoque parte quaestione 106. Postremo ad hoc praecipuum reducuntur omnia officia charitatis in proximum. Et cum misericordia sit eius filia: sub hoc praecipuo continentur omnia opera misericordiae, quales sunt elemosinarum largitio, errantis & delinquentis correptio: de quibus omnibus & singulis est nobis distincte, dilucide, & breuiter differendum. Hinc apparet, hoc libro esse nobis agendum non solum de peccatis, quibus honor parentibus debetur violatur, sed de his etiam, quibus debita proximo misericordia, benevolentia, & charitas denegatur, & quibus etiam proximi offensio gignitur, quae scandalum vocatur.

## CAP. II.

## De ijs speciatim, quae filij parentibus debent.

PRIMO quaeritur, in quo consistat amor qui parentibus debetur, & quibusnam rebus violetur, aut quando deferatur. Respondeo, parentes erga nos ita esse affectos, vt nullum laborem nullum, periculum nostra causa refugiant: quare nihil illis potest accidere iucundius, quam vt filijs caros se esse sentiant, quos ipsi maxime diligunt: vnde honor, qui parentibus debetur, ex intimo animi sensu & amore proficisci debet. Ioseph cum in Aegypto honore, & auctoritate Regi esset proximus, patrem suum, qui in Aegypto venerat, honorifice excepit: & Salomon matri ad se venienti assurrexit, eamque veneratus, regio in folio ad dexteram collocauit.

Gen. 41  
Ios. 46.

J. Re. 3.

Honoramus item parentes, cum à Deo suppliciter petimus, vt eis de bene & feliciter omnia eueniant: vt in maxima gratia, & honore sint apud homines: vt ipsi Deo, & sanctis, qui in caelis sunt quam commendatissimi sint. Parentes item honoramus, cum nostras rationes & actionesque vitae ad eorum arbitrium & voluntatem componimus, & ad eorum consilium dirigimus. At enim Salomon *Audi filii disciplinam patris tui, ne dimittas legem matris tuae: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* quod est dicere; Hoc te faciet gratum apud omnes, vt solent esse paruuli puercilibus ornamentis cohonestati, coronis capiti impositis, & monilibus collo appensis, Hinc illae Apostoli cohortationes: *Filij obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est. Item Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino.* Vnde magna, & multa proborum hominum exempla extant. Isaac à patre ad sacrificium vincit, ei modeste, ac sine recusatione, & mora interposita paruit: Recabit ne vnquam à patris consilij & monitis recederent, vno se in perpetuum abstinerunt. Item honoramus parentes, cum eorum recte facta, & bonae vitae mores imitatur: his enim plurimum tribuere videmus quorum volumus esse quam simillimi. Item honoramus parentes, quorum consilium exquirimus, ne dum sequimur: Item quibus inuenimus ea impetiendo, quae videtur cultusque desiderant, quod Christus suo testimonio comprobauit, qui Pharisaeorum impietatem redarguens:

Prov. 1.

Gen. 2.  
Hic. 35.

Mat. 15.  
Ex d.  
20°

*Quare, inquit, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dicit: Honora patrem tuum & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Qui dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecerit mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Secundo quaeritur, Quibus modis filij alij delinquant contra amorem parentibus debitum: Respondeo eos lethaliter delinquere, in primis si parentes, odio habeant, si malum aliquid, quod sit alicuius momenti, illis optent, si illis nunquam signa amoris exhibeant & ostendant: & in his omnibus peccatis confitendis parentum circumstantiam oportet exprimere. Sic Angelus, Siluester; Tabienfis, Armilla, Nauarrus, & alij locis capiti superiori citatis.

Tertio quaeritur, Quando nam filij peccent contra venerationem & cultum parentibus debitum? Respondeo, eos grauitate peccare, si in parentes maledicta conijciant, si eos contumelijs laesant, si grauitate increpent, si passim asper & dure tractent, si eos notabiliter ledant, vel eis manus inferant: & in his etiam omnibus peccatis confitendis, apertenda est circumstantia parentum Sic Alex. Ang. Sil. Tabien Armil. Nauarr. locis supra citatis. In veteri lege iubebantur occidi filij, qui patri vel matri maledicebant. At etiam Salomon; *Qui affligit, patrem, & fugit matrem, ignominiosus est & infelix; item Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. rufus, Oculum qui subijcunt patrem, & qui despicit partem matris sua, effodiant eum corni de torrentibus, & comedant eum filij aquila.* In filios qui parentibus iniurias intulerunt, Deitira cuncta exarfit. Non enim Dauidem iustum reliquit: nam sceleris Abiulon filius eius pomas debitas dedit, quae tribus hastis transfixu sacrae litterae prodiderant.

En. 11.  
Dm. 1.  
Pom. 19.  
Ios. 10.  
Ios. 10.

J. Re. 3.

Quarto quaeritur, in quibus filij grauitate violent obedientiam, quam parentibus debent? Respondeo eos grauitate violare, si in re alicuius ponderis & momenti, quae ad gubernationem domus, vel familiae pertinet, non parenteant, Deinde si in ijs, quae spectant ad bonos mores, & ad salutem animae non obtemperant. Cuiusmodi sunt haec quae sequuntur: si laborare nolint in agro: cum tamen i ad eos pertinet. Item, si parentes praecipiant, vt filij ludos praesertim noxios deuitent, confortia praua, & mala fugiant, ad meretricibus & luxu abstineant. Cum etiam precipiunt, ne noctu domo exeant ob periculum malorum euitandum. Haec omnia intelliguntur, quando parentes serio iubent, & filij eorum iussa scientes negligunt & recusant: non tamen, si per inconsiderantiam, vel obliuionem praetermittant. Haec ex Alex. Ang. Sil. Tabien Armil. Nauarr. aliorumque communi doctrina locis supra allegatis.

Quinto quaeritur, Quando nam filij debent parentibus auxilio, & subsidio esse? Respondeo, semper, quotiescunque eorum opera, & ministerio parentes egent: sed maxime cum grauitate & periculose agrotant: tunc enim filij datuti sunt operam, ne quid praetermittant, quod ad peccatorum confessionem attinet, vel ad reliqua Sacramenta, quae à Christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat: & id eius curae esse debet, vt pii religiosique homines eos crebro interuisant, qui vel imbecillos confirmant, & praesidio inueniunt; vel optime animatos ad spem erigant immortalitatis: vt mentem à rebus humanis auocent, & totam conijciant in Deum: vt fidei, spei, & charitatis, religionisque praesidio muniti mortem non modo non pertimescendam, cum necessario subeunda sit, sed cum aditum ad aeternitatem expediat, etiam appetendam censent. Parentibus itidem etiam subsidium tribuitur, si ijs vita functis funus facimus, si eos exequijs debitis cohonestamus, si illis honorem sepulturae impertimus, si iusta, & sacrificia anniuersaria curamus: si etiam quae ab his legata sunt, & debita contracta, persoluimus diligenter.

Sexto quaeritur, an filij in matrimonio contrahendo debeant parentum consensum requirere, consilium sequi, voluntati parere? Conuenit inter auctores, filios cum ad aetatem maturam peruenierint, ius & facultatem liberam habere nuptias contrahendi: vt Angelus, Siluester, Tabienfis, Nauarrus, & alij tradiderunt. quod tunc locum habet, cum filius non ducit uxorem feminam vilem & abiectam, & cum puella non nubit viro se indigno.

Sed quaestio dubia est, an leges, & statuta, quae vetant, ne filia absque patris consensu nubat, improbari debeant?

De hac

De hac questione Angel. verbo, dos, num. 4. Syluest. dos, num. 5. & in verbo, hereditas 2. num. 8. & Tabien. verbo, filii, num. 14. Acmil. dos, num. 6. & Navar. in Man. cap. 14. num. 15. ex Abbate in c. de desponsat. impuberum. L. Ea que patris, ff. de desponsat. statuitur ne filia etiam si vidua sit, & extra patriam potestatem, modo vigesimum quintum ætatis annum non ex eiat, absque patris nutu & voluntate nubat. Idem continetur in L. In coniunctione. C. de nuptiis, ubi dicitur: In coniunctione filiarum in sacris potestatum patris expectetur arbitrium. Sed si iuxta puella sit intra quintum & vigesimum annum constituta, ipsius quoque assensus exploratur: si patris auxilio destituta, matris, & propinquorum, & ipsius quoque adultæ requiratur iudicium. Sic ibi.

Immo sunt etiam leges quæ parentum consentum postulant in nuptiis filiorum, qui adhuc sub patria potestate sunt, l. 2. ff. de Riti nuptias & L. in desponsat. l. 1. ff. de desponsat. ff. de nuptiis. Quæ leges quamvis non decernunt, irritum esse coniugium sine parentum consensu contractum, videntur tamen honestatem quandam & acquiescentiam continere. Est enim rationi maxime consentaneum, ut saltem filia in matrimonio ineundo parentum consilio ducatur, & eorum voluntari pareat. Prædictas leges Sotus in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. ad 4. Couar. in Epico. 2. par. c. 6. in principio num. 17. Anton. Gomes in L. 49. Taurina. Menchaca lib. 1. de Successionib. §. 10. à nu. 623. vsq. ad nu. 647. & alii quidam probant tanquam iustas, nec Canonico iure correctas.

Alii vero eas impobant tanquam Canonico iure abrogatas, quod libera vult esse filiorum coniugia: ut habetur in c. Super illa, & c. Cum secundum Apostolum, de secundis nupt. & c. Gervasia de desponsat. Et quia præfate leges aliquid matrimonii libertati detrahere videntur, Canonico iure sublatae creduntur, & in Concil. Trid. Sess. 24. c. 9. in Decreto de Reformat. matr. non habetur.

Quare cum maxime nuptiarum sit matrimonii libertatem violare, & ab eis iniuriæ nasci, à quibus iura expectantur; Præcepit Sancta Synodus omnibus christianis, gradus dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant. Sic ibi.

Mihi in primis videtur, ubi mos & consuetudo, vel lex patriæ est, ut filii matrimonium non contrahant inconsultis parentibus, seruanda est, & peccatum erit aliter matrimonium inire, eo quod consuetudo, vel lex Patriæ negligatur. Nec ea consuetudo, vel lex iniusta est: tum quia non raro periculum est, ne filii male nuptias contrahant, quando id faciunt in seculis parentibus: tum quia in re tam graui, quale est matrimonium, rationi esse consentaneum, ut filii parentum consilio regantur. Satis tamen est, si tacitus parentum consensus subit, vel si consilium eorum petatur, etiam si non accesserit consensus, ut cum probabiliter creditur matrimonium parentibus probandum, aut saltem nihil nociturum, aut cum matrimonio filius, vel filia contrahit consensu parentibus.

Item ubi talis consuetudo viget, vel lex est grauior filii peccant, si in seculis parentibus, ac minime in consiliis ad nuptias transierint se indignas: cuiusmodi sunt, quæ non decent eorum parentes, cognatos, vel quæ parturæ sint lites dissidia, inimicitias, odia, vel aliquid certe alicuius momenti malum. Item si parentum consilium vile est, & commodum filii, debent filii id sequi in matrimonio contrahendo.

At vero nonnunquam filii iustam excusationem habent, etiam si inconsultis parentibus ad nuptias se conferant, ut cum nimia est parentum auaritia, cuius causa dotem, quam debent filiis dare, recusant; aut cum plus æquo lacri cupidi sunt, & propterea filiarum nuptias in longum tempus differunt, aut negligant. Nonnunquam etiam accidit, ut filii certæ alicui puellæ sese promissione, atque iuramento, aut aliquo alio obligationis vinculo obstrinxerint. Fieri etiam potest, ut eam, quam in uxorem dare filio vult pater, iustis de causis ipse filius recuset.

Septimo quaeritur, An fas sit patri filiam, aut filium excludere dote, alimentis, vel hereditate ob ingrati animi vitium, vel eo quod turpe & indignum matrimonium contraxerit absque ipsius consensu? Dux sunt opiniones: prima affirmat, si filius, aut filia quæ nondum vigesimum quintum ætatis annum excessit ad huiusmodi nuptias transierit, non tamen si eum annorum numerum excesserit. Sic Bald. in auth. res. qua. C. communia de legat. Paul. in auth. Sed si post. C. de inofficio testam. Gloss. in cap. de raptorib. 36. quæst. 1. Abb. in cap. 1. de desponsat. impuber. Angel. verbo, dos, nu. 4. Silu. verbo, dos, quæst. 4. Negat secunda opinio id pati licere facere. Ita Couarruias in 4. Decretal. de matrim. par. 2. c. 3. §. 8. nu. 5. & 6. dicens, hanc etiam esse communem sententiam iuris Canonici, & ciuiliis.

Sed certe dubitant aliqui an prima opinio potius sit communi consensu recepta, ut testatur Alexand. in l. 1. ff. soluto matrimonia. Paris. conf. 29. vol. 3. Iul. Clarus lib. 5. re. cepta. sentent. 5. Practica criminalis, quæst. 82. num. 13. Butrius in cap. accedens. de procurat. Ancharan. conf. 21. Mihi magis secunda sententia probatur: puto enim Canonico iure esse sublatas leges, quæ poenas constituunt in eos, qui nuptias contrahunt sine consensu parentum, quoniam eiusmodi leges non parum matrimonii libertati detrahunt. Et hoc intelligo, quando leges poenas irrogant præcise filiis, qui nuptias contraxerunt sine consensu parentum: de his enim legibus loquitur secunda sententia, quæ certe communis est, ut Couarruias testatur loco citato. Secus est, si poenas constituunt in filios, quia nuptias inierunt indignas, viles, ignominiosas, aut præter, vel contra Canones, & iura Ecclesiæ: tunc enim vim habent hæc leges & poenæ, ut ait Panormitanus.

Octauo quaeritur, Quid sit dicendum, quando filia sine consensu patris matrimonium contraxit, non quidem cum abiecto, & indigno, quamuis inferioris conditionis, & sortis viro, An patri liceat eam dote, vel hereditate priuare? Abbas, Angelus, Syluester locis præallegatis respondent: si pater promiserat filię dotem debet eam dare, si autem non promiserat, tunc dare nullo iure compellitur, sed maritus alere debet, quam duxit uxorem.

Couarruias tamen loco citato sentit, patrem siue promiserit, siue secus, debere filię dotem dare, quia filię liberum est iure Canonico, cui voluerit viro nubere, dummodo non abiecto, & indigno. Nam ut dicitur cap. super illa, c. cum secundum Apostolum, de secundis nuptiis, & cap. gemma, de desponsat. coniugia debent esse libera ab omni metu poenæ. Item habetur in cap. cum locum, cap. requisisti, de desponsat. c. cum causa, de raptor. cap. Hoc sanctum, 32. quæst. 2. Certe si filia nupserit seruatis iis, quæ Canones, & iura Ecclesiæ præscribunt, nequit pater tuta conscientia dotem negare, secus vero est, si nubit præter, vel contra Canones, & iura Ecclesiæ.

Nono quaeritur, An vim vllam habeant leges, vel statuta Principum, vel Magistratum ciuilium, quibus poena constituitur in filios, aut filias, quæ ante vigesimum quintum ætatis annum contrahunt nuptias viles, abiectas, ignominiosas, indignas, in seculis parentibus: Dux sunt opiniones, quarum Prima affirmat huiusmodi leges valere, nec esse Canonico iure correctas. Hanc opinionem Glossa, Antonius, Ancharanus, Parisius, locis supra productis secuti sunt, eamque Iul. Clar. quo diximus loco, communem esse testatur, & in iudicio locum habere. Secunda opinio negat, eas leges vllius esse momenti, utpote pugnantes cum iure Canonico, quod in matrimonio libertatem expofcit. Et quoniam matrimonium, ex quo à Christo Domino Sacramentum est institutum, potius Ecclesiæ constitutionibus subiicitur, quam legibus, & statutis Principum, & Magistratum ciuilium. Sic Couarruias in loco præallegato.

Certe, ut cepi iam dicere, si vniuersè loquamur de filiis contrahentibus matrimonium qualecumque absque consensu patris tunc nullius sunt ponderis, ac firmam eam dicitur leges & statuta: & hæc est communis opinio Ca-

nōnici iuris interpretum. Sic enim Ioan. Andreas in *statutum de Hæret. in sexto*. Abbas in *cap. 1. de Desponsat. impub.* Et in *Cons. quod incipit. ut clare materia themas*. Felin. in *cap. 1. de Desponsat. impub. num. 13.* Et in *c. Ecclesia. de Constit. nu. 59.* Federicus *conf. 36.* Decius *conf. 131.* & alii multi, quos refert & sequitur Couar. loco citato.

Si autem speciatim talia statuta, & leges caueant, ne filii sine consensu patris, ante vigesimum quintum ætatis annum contrahant matrimonium vile, turpe, & indignum, eiusmodi leges & statuta videntur esse rationi, & æquitati consentanea, ita vt pater iuxta leges dictas iure queat ab hæreditate ipsius excludere: nam hæc matrimonia solent genus & familiam perturbare, odia, & dissidia parere, & proinde prædictæ leges vim habent, non quidem quatenus auctoritate Principum ciuiliū sancitæ sunt, sed quatenus iuri & æquitati naturali consentaneæ iudicantur.

Decimo quæritur, An filii grauius peccent, cum ad dignitatem euecti, vel ad munus, & officium honorificum electi, parentes suos tanquam viles despiciunt, aut non agnoscunt eos, vt parentes? Respondeo graue esse proculdubio huiusmodi filiorum delictum, nisi aliunde filii iustam huius rei excusationem habeant: qualis esset, si graue aliquod damnum incurrerent: aut si hoc potius in maius ipsorum parentum bonum cederet. Item, si parentes præterquam quod viles essent, infamix quoque crimine notarentur, vt si essent hæretici, aut proditores, & hostes patriæ, aut rei læsæ Maiestatis.

Quæres, quid sit dicendum, quando parentes essent à Fide, & Christiana religione alieni, nunquam ad Christum conuersi? Respondeo, non ob id eos esse despiciendos, verum iis de causis, quas paulo ante commemorauimus, licet filio, suos parentes tacere, aut celare.

Vndecimo quæritur, An filiis fas aliquando sit parentes criminis reos accusare, vel ad Iudices deferre? Respondeo, id minime licere facere, nisi in duabus causis, videlicet quando parens esset patriæ, siue reipublicæ hostis, vel proditor, aut Principi necem, vel interitum machinaretur, vt si arma cæperet contra patriam, & in eam, aut Principem tanquam coniuratus hostis irrueret. Vnde Cicero libro tertio de Officiis: *Si ad perniciem patriæ res spectabis: patria solus em anteponeat filius salutis patriæ.* Sic ille. Ratio id concludit: nam communis Reipublicæ salus est priuata præferenda. Item communis opinio. Angelus in verbo *Exheredare*, num. 2. Syluest. *hereditas* 2. num. 3. Abb. in *cap. peruenit de immunit. Ecclesiar.* Fortun. in *L. vltim. ff. de iust. & iure.* Couar. de *res. c. Raynuitius*, num. 9. Nau. in *Man. cap. 14. numer. 12.*

Duodecimo quæritur, An filius cum ex prædictis criminibus nouit aliquod, debeat patrem reum ad Magistratum, siue Iudices deferre? Decius, teste Nauarro loco citato ait, fas quidem esse filio id facere, sed ad faciendum nullo iure compelli. Sed simpliciter dicendum est, quod tradit Nauarrus, id facere filium debere, si nullus alius sit, qui patrem sceleris auctorem indicare Iudici commode queat; nam lege charitatis salutem patriæ communem priuata anteponeat debemus. Id quoque natura ipsa docet, quæ patrem corporis obicit periculo, ne totum corpus intereat.

Decimotertio quæritur, An filius patrem hæreticum occultum accusare debeat? Duæ sunt opiniones: Prima eorum est, qui id affirmant, quando pater alios falsa doctrina corrumpit, aut à vera Dei religione studet auertere, non tamen quando sibi soli nocet. Hanc sententiam comprobant, Alexander p. 3. q. 33. memb. 4. art. 2. ad finem. Alfen. in *sum. p. 1. lib. 1. tit. 2. art. 3. q. 3.* Ioan. Lupus in *c. per vestras. de donat. inter vir. & vxor. num. 75.* & Calt. lib. 2. de *iust. hæret. punit. c. vlt.* Caiet. in *caput 13. Deuter.* eoque argumento confirmant: quia patrem proditorem, vel hostem Reipublicæ, vel Principis, filius debet ad Iudices deferre: ergo & hæreticum alios corruptentem. Deinde, quia lex Deuteronomii constituit, vt pater prodat filium impium,

ergo eadem ratione filius patrem hæreticum debet prodere. nam idem ius est filii in patrem, quod est patris in filium. Secunda est opinio, negantium, filium iure compelli ad patrem suum hæreticum Iudicibus prodendum: quæ opinio fuit Abulensis in *cap. 13. Deuter. quæst. 3.* quam sequitur Simanca. de *instit. Cathol. tit. 29. num. 35.* quam probare nituntur auctoritate Platonis in *Eutyphron*: nam etiam ferræ ipsæ, & belluæ nunquam suis parentibus interitum machinantur vel afferunt. Deinde quia *Deuter. 13.* nulla sit mentio patris, aut matris; sed solum dicitur: *si frater tuus, aut filius, aut vxor, aut amicus decipere voluerit te.* Et ius ipsum naturale videtur distinguere. Nam filius patri debet honorem & cultum, non contra patrem filio. Præterea, quia filius semper debet colere, & reuereri parentes: ergo non accusare, vel damnare, quod videtur cum cultu, honore, & veneratione debita patri pugnare: legimus filios aliquando à parentibus, vt iudicibus damnatos ob læsæ maiestatis crimen, non tamen parentes à filiis.

In hac controuersia in primis illud videtur esse dicendum: si filius verisimiliter credit, multos à patre decipientes, nec id mali possit aliter impedire, debere patrem prodere: nam salus communis est priuato bono præferenda. Quod si multos à religione auocandos curat, & periculum imminet, ne id mali latius serpat, & in dies longius emanet, ac se fundat in partes, & Reipublicæ perniciem afferatur, omnino est tantum patris crimen ad Iudices deferendum.

Quid vero si pater est hæreticus occultus, ita vt sibi soli noceat, non aliis? Respondeo, tunc potius filium credere debere, patrem non solum sibi, sed aliis nociturum: & ita secundum primam sententiam filius patrem prodere iure compellitur. Quæres, an tunc cum pater est occultus hæreticus, & filius bona fide putat sibi soli, non aliis nociturum; liceat ei patrem ad Iudices deferre? Consentient omnes id filio licere facere. Respondeo filium nunquam bona fide putare debere patrem hæreticum sibi soli nociturum, quia hæresis serpit, vt caecet, & pestiferum venenum.

Quid dicendum, cum dubitat filius, num pater sit alios suæ hæresis labe infecturus? Respondeo, vt dixi, patrem esse à filio prodendum, quia in dubio potius est habenda ratio boni communis, quam proprii, & aliorum salus, patriæ salutis præferenda est. Immo quamuis pater occultus hæreticus esse videatur, probabiliter filius credere debet patri hæresim ad alios manuram.

Quid si pater hæreticus occultus quidem est, sed filium suum ad hæresim perturbare conatur? Auctores primæ opinionis sentiunt filium debere crimen patris ad Iudicem deferre. Sed Abulensis negat, vera esse, vt dixi, & tenenda prima sententia.

Decimoquarto quæritur, An liceat aliquando filio patri suo manus violentas afferre? Respondeo, nunquam id ei facere licere; nisi quando filius vult seipsum à nece, quam sibi pater intendat, defendere, cum aliter se tueri non possit, nisi vim afferat patri, aut nisi quando filius contra patrem arma capiat, vt Reipublicam, Regem, Principemve tueatur incolumem.

Decimoquinto quæritur, An quando à Republica vel Principe libera datur facultas impune occidendi publice proscriptos à patria, qui Italice Banditi, & Hispanice Encartados vocantur, liceat filio patrem necare? Hanc quæstionem tractat Nellus de S. Geminiano in *trakt. de banditis. par. 2. q. 10.* & Iul. Clarus in *lib. Rescript. sent. §. Homicidium. num. 53.*

Duæ sunt opiniones, vt ait Nellus; quarum vna affirmat: primum quidem, quia Reipublica, vel Princeps quolibet priuatos necis ministros constituit. Deinde quia tales publice proscripti habentur tanquam hostes patriæ, ita sentit Bart. in *l. si aduultum cum incestu. §. Liberto. ff. de aduult. sic Mar. in l. 2. §. Præterea. num. 33. ff. de quæst. Gomes in *instit. de Actiōi. §. Rorsus* num. 21. Berous in *cap. Quæ in Ecclesiis. de constit. num. 14.* & ita esse definitum in Col.*

legio Perusino, testatur Angelus de malefic. in verbo: & ex interuallo, num. 17.

Altera opinio negat id filio licere facere, quoniam tamen est fuerint, publice proscripti, non sunt tamen patrie hostes, cum in eam arma non capiunt: nec sunt Reipublice proditores: nec quamvis Reipublica, vel Princeps cuiuslibet facultatem dederit eos occidendi, verisimile est, eam filio esse datam in patrem, cum id omnino pugnare videatur cum pietate & charitate, quam patri filius debet. Sic opinantur Angelus in l. veluti ff. de iustit. & iur. Fortunius in eadem lege. Decius in cap. qua in Ecclesiasticum. nu. 4 de Constat. Couar. de matrim. par. 2. c. 7. §. 7. num. 5. & lul. Clarus loco citato. At primæ opinionis Auctores inquit.

Legimus statuta à quibusdam ciuitatibus condita, vt qui proscriptus occiderit, certa ei mercedis nomine premia reddantur: & euidem qui sui patrie proscripti caput amputauit, & Magistratibus obtulit, merces est soluta. Sed alii respondent, premia non esse impiecatu facinori redditum. Cum victis Marianis Sylla urbem esset ingressus, & ciues occidendi finis ausus foret: Q. Catulus dixisse Sylla fertur: Cum quisquis tan dem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? tunc C. Sylla Furfido promipilati auctore tabulam proscriptionis prius excogitauit: ac principio octoginta tantum viros, postea quadringentos proscriptos, vt Eutropius libro quinto scribit. Tulit autem de Proscriptione legem, vt qui proscriptum recepisset, capitale esset, nemine neque fratre, neque filio, neque patre excepto: qui autem proscriptum occidisset, siue seruus dominum, siue patrem filium intermisset, ei duo talenta mercedis nomine darentur. Plutarchus in Sylla vita. Immanis inquit alii, profecto lex à crudeli tyranno impo-  
nita.

Obicit, filium tunc debere patri alimenta denegare: ergo eodem iure debet illum occidere. Respondent secundæ opinionis auctores, etiam filio nefas esse patri publice proscripto alimenta denegare, nisi sit pater hostis, aut proditor Reipublice aut Principis. Mihi certe hæc opinio videtur esse probabilior, vt contra Bartolum sententiunt Angelus, Decius, Couarruias, & Iulius Clarus, locis supra citatis.

Decimo sexto quaeritur, an pater, & filio Titii ad extreme nam inopiam redactis, ita vt finis pereant, debeat Titius patri potius, quam filio indigentibus subuenire? Fingamus eum Titium vtrique subuenire non posse. Duxerunt opinioniones, vna quæ docet potius esse filii, quam patris egestatem subleuandam: sic Bartolus, quem Angelus producit in verbo filius. n. 24. immo sic videtur sentire iuris ciuilibus interpretes. Aiuunt enim, filium iure gentium patri alimenta debere, patrem vero filio iure naturali: at ius naturale arctius est vinculi quam ius gentium: cum ius naturale ortum habeat ex ipsa naturæ propensione, quæ est omnium animantium communis, & ius gentium à sola omnium nationum, & gentium ratione proficiatur, & maoret. Deinde belluæ etiam suis filiis naturæ instinctu alimenta præbent, non tamen parentibus: ait item Paulus: Non debent filii parentibus ius iuris dare, sed parentibus filiis. Altera opinio potius vult esse patri, quam filio succurrendum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 9. cuius sententia videtur esse communi Theologorum consensu recepta: sic enim sentit Maior in tertio sententiarum, dist. 29. Bonauentura in 3. dist. 29. art. 1. q. 4. Rich. 3. dist. 29. art. 1. q. 7. Gab. 3. dist. 29. q. 1. art. 2. conclus. 5. Marfil. 3. quest. 13. art. 3. dub. 4. Abulen. in Mat. h. 22. q. 311. Cat. 2. 2. q. 31. art. 3. ad 2. Sic etiam Angelus in verbo filius. num. 24. Sylla. filius q. 5. Tabien. filius nu. 13. Attil. in verbo. de clem. yna. num. 14. Atq; hæc opinio est longe probabilior: nimirum plus patri filius debet, quam pater filio: habet enim filius huius vitæ & lucis vltimam, educationem, institutionem, & honorem a patre, non è contrario. Deinde pater in educando, alendo, & informando filio labores, & pericula sustinet.

Decimo septimo quaeritur, an pater & creditore ad extremam inopiam, & egestatem redactis, debeat filius po-

tius patri, quam creditori subuenire? De hac questione latius dicam inferius. libr. 12. cap. 8. quest. 6. Quidam, vt Scot. Richard. Gabr. Medina, Rosella, & alii vt ostendam inferius loco citato; sensere, potius esse creditori succurrendum, quia iure naturali alienum est Domino reddendum. Deinde, quia creditor plus iuris habet in his, quæ tunc temporis filius habet, cum bona quæ penes filium sunt, creditori debeantur. Sed probabilior est eorum opinio, quam videtur habere Sorus, Cai. Tabien. vt dicam inferius loco citato, qui docent patrem esse creditori præferendum, quia cum pari alioqui creditor & pater egestate, & inopia premantur, arctiori vinculo patri obligamur, quam creditori. Et ad argumenta contrariæ opinionis. Respondeo: Cum pater & creditor simul in extremam egestatem deuenierint, & bona quæ creditori debentur, sint penes filium, eo ipso facta sunt communia patri, & creditori. Et quia vinculum, quo filius debet patri subuenire, arctius est: ideo cessat tunc obligatio, quæ creditor debitorem filium sibi obstrinxit. Deinde si creditor, & debitor simul in extremam egestatem redigerentur, & penes debitorem panis esset, quem alioqui creditori deberet, iure posset debitor sibi panem retinere, quo suæ vitæ prospiceret: nam tunc factus est panis vtrique communis, & in pari necessitate melior est conditio possidentis: ergo eadem ratione quæ debitor tunc tam grauiter indigens potest sibi ex pane succurrere, sic etiam si non indigeret ipse, sed pater, posset patri subuenire creditore posthabito.

Decimo octauo quaeritur, an si pater simul, & mater in extremam egestatem deciderint, & filius non vtrique, sed alterutri duntaxat subuenire queat, patri potius debeat, quam matri subuenire? Respondeo; vt colligitur ex S. Thoma 2. 2. quest. 26. artic. 5. o patrem esse matri anteponeendum, quia in familia pater est caput, & in generatione prolis pater est potior ratio & causa. Nec refert, si mater plus laborum, & oneris sustinet in pariendo, & educando filio parulo: nam potior, vt dixi, est ratio, & auctoritas patris, qui est præcipua filii causa. Ex quo fit, vt dubitandum non sit, quod aliquis potius debeat patri subuenire, quam vxori ad extremam paupertatem delapsis, hoc quoque videtur esse ex S. Thoma sententia 2. 2. q. 26. artic. 11. Nam etsi ratione, & iure communi vir, & vxor sint vna caro; strictius tamen est vinculum, quo quisque parentibus alimenta debet, à quibus originem, & vitam suam hausit, & traxit.

### C A P. III.

Alia questiones de eadem re diluuntur.

PRIMO quaeritur, Quo iure filius alimenta parentibus debeat? Iuris ciuilibus interpretes passim docent, filium parentibus alimenta debere iure gentium, non naturali: contra vero parentes filiiis alimenta naturali iure debere. Bart. in l. si quis à liberis ff. de liberis agnoscat. Id colligunt primum, quia natura descendit, non autem ascendit. Deinde, quia belluæ, in quibus iuris naturalis vestigium, non gentium, cernitur; filios alunt & educant, non autem parentes; Postremo, ipso naturæ instinctu, & impulsu mouentur parentes ad alendos filios, non è conuerso.

Quidam vero Theologi, vt videtur dicere Syluest. in verbo filii q. 22 ad finem. Angel. filius. nu. 24. totum hoc Iurisconsultorum placitum reiciunt, quia iure naturali filius parentibus alimenta debet, cum ius gentium sit idem, quod ius naturale, vt colligitur ex Instit. di. iura nat. gent. & civil. §. ius autem, & §. Sed naturalia, & ex S. Thoma 2. 2. q. 57. art. 3. Item, quia arctiori vinculo natura filium patri obligauit, quam patrem filio, eo quod quidquid filius habet, accepit a patre, non è contrario.

Sed certe nihil est, quod in hac parte Iurisconsulti reprehendantur: nam quamuis ius gentium sit idem, quod naturale: nihilominus tamen ratione distinguitur. Nam ius naturale dicitur, cuius vestigiū aliquod in ipsis etiam animantibus apparet; ius gentium vero, quod natura quidem præferibit, sed in solis hominibus existit. Hinc est,